



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 73. Jesuitæ excommunicati, Urbeque expulsi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæcul. XVI. Prior decantat: sermonem vero habet
A.C 1555. Joannes Azovola Ordinis Hieronymiani alumnus, ubi ipse Pro-Rex, pluresque Proceres, alique Viri conspicui præsentés aderant,

§. LXXIII.

Jesuitæ excommunicati, urbeque expulsi.

Orland. n. 66 Cum interea sacrum celebraretur, ad
 71. Collegii fores Vicarii generalis editum affigitur, quo Parochi omnibus suis Parochianis interdicere jubebantur, ne interposita anathematis pœna Ecclesiam Jesuitarum frequentarent, vel Sacrificii, vel Verbi divini audiendi, aut Sacramenta suscipiendi studio adirent, moxque Patres excommunicantur, faces in Ecclesia accensæ extinguuntur, Socii horrendis carminibus, & execrationibus obruuntur, simulque dirarum plenus funestissima modulatione cantatur Psalmus Davidis centesimus octavus, qui ab hisce verbis incipit: *Deus laudem meam ne taceris.* Denique nil prætermissum, quod in impios, facinorosos, & detestandos Ecclesiæ, Deique hostes alias evomi consuevit, cum vero in ipsam etiam urbem interdicti fulmen esset intortum, quamdiu Patres ibidem morarentur, hinc ut imminens periculum evitarent, aut non forte etiam ipsorum ædes incenderentur, fecedere

fecedere decreverunt. Ergo Senatum Sæcul. XVI.
A.C 1555.
 accedentes, eidem Collegii sui claves
 porrigunt, veniamque abeundi petunt,
 haudque gravate id impetrant, exceptis
 quibusdam Senatoribus eorum Amicis,
 qui tam iniquam temporum injuriam
 deplorabant. Abeuntibus itaque Jesui-
 tis pristina urbi restituta est tranquillitas.

§. LXXIV.

*Gloriose revocati, ac pristinis honori-
 bus restituti.*

Verum Joanna Regina Caroli V. Mater Orland.n.75
E^s 76.
 adhuc vita superstes suam, ac Nun-
 tii Apostolici Auctoritatem vilipendi æ-
 gerrime ferens mox Patres revocari ju-
 bet: Itaque Archiepiscopus morem gef-
 sit, & lata sententia Patrum innocentiam
 declaravit, ac ipsimet urbis Primores
 rogatum venerant, ut ad urbem redi-
 rent, in quam etiam honorifice rursus
 fuere excepti, obviam usque ad urbis
 portas procedentibus cunctis Senatori-
 bus, nequidem excepto Archiepiscopi
 Vicario, qui, licet in illos anathema vi-
 brasset, nunc eosdem per omnes plateas
 comitabatur, illosque ad suas
 ædes reducebat.

